

usque ad *Calandro* triginta millia computantur, a syroco quoque et a magistro; et bonum portum retinet. — A Calandre autem usque ad *Salmode*, viginti quinque sunt millia, navigando per quartam magistri versus ponentem. — A Salmode vero usque ad *Anthiocetam*, viginti millia esse dicuntur, navigando inter ponentem et magistrum. — Ab Anthioceta usque ad *Castrum Lombardum* viginti quinque millia computantur, per quartam ponentis versus magistrum navigando. — A Castello autem Lombardo usque ad *Candelorum*, decem millia sunt, a levante siquidem et ponente. Prædictus Candelorus civitas est portum habens et facit sibi operimentum usque garbinum. — A Candeloro ad *Scolium Sancti Fochæ* triginta millia computantur, navigando inter ponentem et magistrum. — A dicto autem scolio Sancti Fochæ usque ad *Sataliam* senem, millia sunt quadraginta, navigando per quartam magistri versus ponentem. — A Satalia vero Vetere usque ad *Sataliam Novam*, quadraginta millia esse dicuntur, a ponente et a levante. Item prædicta Satalia Nova est magna civitas, habens scolium ante se bene per octo milliaria foras in mari: qui quidem scolius proprie nominatur *Agiopendi*: et ibi bonum statium reperitur.— A Satalia quidem Nova usque *Renathiam*, milliaria sunt quindecim. Dicta Satalia bonum et securum ex parte terræ habet portum, in quem dilabitur quoddam flumen. — A Renathia usque *Cyprianas*, milliaria sunt decem. Prædicta Renathia bonum habet portum in insula, ex parte maris et terræ securum: habetque aquam fluminis copiose. — A Cyprianis ad *Portum Januensem*, milliaria sunt decem: portum securum habet, dum a Turchis sibi caveant illi de porto ex parte marina et terrestri, qui portus in plagia sufficienter fluminis habet aquam. — A porto Januensi usque *Chipascum*, octo millia computantur: bonum portum et flumen obtinet; tamen sibi caveant a gente ex parte terræ. — A Chipasco usque *Cambruxam* millia sunt sex: bonum habet paravegium et affluenter aquam: a quo porto quadam insula distat circa tria milliaria infra mare. — A Cambrux ad *Scolia de Childoniis* milliaria sunt decem, sed parua; habet enim paravegium, et ubi ancoræ infiguntur: videtur tamen statium timoroso ex parte maris, quamvis a gente ex parte terræ possit esse securum: etc. etc.— MARIN SANUTO, *Secreta Fidelium*. II, IV, 26.